Crac. Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinis
1773 24 martii

Bednarski Martini: Honor praemium virtutis.

def.

Jakiś wandal wyciął większą część karty trzeciej od końca.

Honor præmium virtutis. *

X. VV. DD. 2dæ Laureæ Candidatis
cùm
sub Protectione
CELSISSIMI PRINCIPIS,
ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. CAJETANI IGNATII SOŁTYK,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ EPISCOPI Cracoviensis, DUCIS Severiæ, EQUITIS Aquilæ Albæ, Universitatis Cracoviensis faventissimi CANCELLARII,
Magisterii in AA. LL. & Philosophia Licentiam
à
PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO
D. M. ANTONIO JOSEPHO
ZOŁĘDZIOWSKI,
U. J. Sacræ Theologiæ Doctore & Professore, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Collegiatæ Vislicensis SCHOLASTICO, Parochialis S. JACOBI Casimiriæ ad Cracoviā PRÆPOSITO, Seminarii Academico-Diecœsani PRÆFECTO, Facultatum; Theologicæ, Medicæ & Philosophicæ PROCANCELLARIO
obtinerent;
COLLATUS.
Artificiô Pòëtico
à MARTINO BEDNARSKI,
Scholæ Archipresbyteralis B. V. M. Seniore, ejusdem Laureæ Candidato,
DESCRIPTUS.
Annô post Christum Natum 1773. Die 24. Martii.

* *Cicero de claris Oratoribus*

CRACOVIÆ Typis Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani.

V. Maristai Steckii Art. LL. et P. B.
1775 die 10. Feb.

IN STEMMA GENTILITIUM OLSZEVIANÆ DOMUS.



Inſolitam Cælô demittum Aſtra VOLUCREM,
  Hancce locô Capitis Sydus habere vides.
Si Caput auguſtis jam Cælis intulit ALES,
  Ne dubites illuc cætera membra ſequi:
Vel; ſi pro meritis VOLUCRIS caput Aſtra coronant
  Sydere, defactò magna fuiſse putes.
Binus hic OLSZEVII titulus concedit honori,
  Qui, venerando Deum, præmia digna refert.

PERILLUSTRI ADMODUM REVEREN-
DO DOMINO,

D. STANISLAO KOSTKA OLSZEWSKI,

Jn Alma Universitate Cracoviensi Juris Utriusq; DOCTORI, Ecclesiæ Parochialis Severiensis PRÆPOSITO, &c: MECOENATI perquam gratioso.

C*ùm tantus sit virtutis splendor, tantaq; eruditionis gloria, ut ii, in quibus lumen utriusque conspicitur & amentur plurimùm, & quàm maximè colantur, tum haud miraberis Vir utrinque* Perillustris, *quòd præsentem, quem unà cum reliquis Candidatis consecutus sum, in Artibus Liberalibus & Philosophia honorem, tuo præclarissimo nomine insigniendum, tibiqué inscribendum putaverim. Namq; non solùm singularis tua omnibus perspecta humanitas, qua me non ita pridem complexus es, verùm etiam præcipua rebus in agen-*

dis prudentia atq; dexteritas id certè postulare videbatur, ut recognitionem erga te meam, aliqua significatione publica testarer, meumq; Tibi gratissimum probarem animum. Quum enim ea mihi facultas obtigerit, ut te adirem, teq; alloquerer, tantum benevolentissimæ Tuæ erga me voluntatis agnovi indicium, ut omnem mihi dubitandi locum eripuerit, quin præsentem opellam benignè suscipias, meq; tuô tuearis patrociniô, præsertim; cùm hæc sit testis nostri, qualis qualis tandem in studiis Philosophicis progressûs, & non obscurum præferat testimonium excelsæ tuæ sapientiæ, quam semper comitem, in omniq; fortunæ gradu administram habuisti. Atq; hinc ego facilè intellexeram, quo pacto tibi Magnorum PRINCIPUM benevolentiam adeò conciliaveris, ut illi te plurimi facerent, & liberalissimè humanissiméq; tractarent. Hinc nemini mirum videri debet, quamobrem illius immortali memoria digni Principis ZAŁUSCII piissimi olim Cracoviensium PRÆSULIS, cujus munificam beneficentiam & liberalitatem ipsa etiamnum tecta ac

pari-

parietes Seminarii Academico-Diœcesani mirificè deprædicant tantam inieris gratiam, ut te non solùm præcipuo prosecutus fuerit amore, ex omniq; gravissimorum Virorum cœtu Administrum sibi selegerit, sed etiã paucîs post annîs animarum curæ Severiensis populi præfecerit. Quo sanè in munere, qua solicitudine, quo consilio et exemplo te in omni tempestatum vicissitudine gesseris & geras, nemo est, qui nesciat. Neq; verò mihi mens est, amplissimas tuas, hoc loco recensere virtutes, quæ passim ea prædicatione celebrantur, ut nemo sit tam inscius, tamq; hospes in rebus, qui humanitatem incredibilem, morum gravitatem, & quod præcipuum est, pietatis amorem singularem, cum recondita celebriq; eruditione connexum, cæterasq; dotes eximias, quæ in te bono sunt exemplo cæteris, non admiretur. Nemo enim ignarus est te in Vinea Christi cùm ad Gloriam DEI Optimi Maximi amplificandam, tum ad augendum in commisso tibi Grege pietatis incrementum plurimum omni loco, omniq; tempore desudare. Nôrunt id perbellè, quotquot tantarum virtutum & rectefactorum spectatores

fu-

fuerunt, & ſunt etiamnum hodie. Nulla proinde ætas nulla temporum oblivio, nec vetuſtas ulla illuſtrium meritorum memoriam conficiet. Verùm hîs omnibûs, quæ deinceps poſteri magnopere reſpicient, prætermiſsîs, ad illud venio, quod à me principe loco commemorandum erat, quodq; magnæ tibi laudi eſse minimè dubito, ad præclariſſimas ſcilicet illas Familias, cum quibus maximè propinqua eſt tibi colligatio & neceſsitudo. Equidem venit mihi in mentem ſubvereri, ne, ſi vel aliquam mentionem non fecerim, planè me horum ignarum, aut tibi injurium exiſtimet. At, quis eſt in noſtra Polonorum Gente adeò peregrinus, qui celebre tuum nomen, quo cum gloria inſignitus es; penitus ignoret. Percurrat is, velim, Podlachiam, perluſtret Ravenſem, Lancicienſem, Siradienſem, Palatinatus; mirabitur in his ZAŁUSCIOS, cum quibus Proavia *tua: videbit DROCHOJOWSCIOS, cum quibus tua* Avia, *ſpectabit BYKOWSCIOS, cum quibus lectiſſima tua GENITRIX; nobiliſſimæ Fæminæ, neceſſitudinis vinculô & ſanguinis cognatione fuerunt ſociatæ. Pronum eſt hic cuivis divinare,*

quàm

quàm latus ad tuas laudes campus mihi se se aperiat, si omnia, quæcunq; hoc loco mihi se offerunt, prosequi, & universæ tuæ Familiæ præconiis insistere atq; immorari contenderem. Sed non committam, ut innatam tuam modestiam lædere, tibiq; injucundus ac permolestus fieri videar. Nam, ùt de M. Catone ajit Salustius, cùm bonus esse malis, quàm videri, omnes tuas laudes aversaris, eisq; omnem quà potest, aditum intercludis. Dixisse sufficiat; te, cùm virtutibûs insignem, tum genere illustrem esse. Atq; inde magnopere erubesco, me non posse aliquod tibi ingenii mei signum patefacere, quod magìs singulare ac perenne esset memoris atq; grati animi mei monumentum. Haud utiq; ab ullo prorsus officii genere diutiùs temperarem, cùm id neq; observantiæ meæ rationes neq; tua in me beneficia patiantur. At; cùm id in præsenti satìs declarare non liceat, hoc saltim propensæ voluntatis meæ documentum, ea, qua soles, benevolentia suscipe, nec tam munus ipsum, quàm candidi in te animi studium & voluntatem spectatam habere maximè velis, hinc enim fiet,

ut

ut & opusculum hoc, licèt ex se ipso perexiguum sit, ex promptitudine tamen animi multò majora dare cupientis æstimatum, magnum quid præseferre videatur. Accipe ergo illud, qualecunq; sit, quod fiduciâ præcipuè ab humanitate profecta, meo cæterorumq; Candidatorum nomine ad te mitto. Vale VIR Præstans ac Eximie! Divinîs muneribûs refertus, meq; ultra prosequi benevolentiâ perge, utpote qui tibi quæq; prosperrima longissimos in annos corde candido.

VOVEO

Perillustris Dominationis Vestræ,
Mecœnatis perquam gratiosi

devinctissimus & obsequenttissimus

A. O.

IN HONOREM
S. JOANNIS CANTII,
REGNI POLONIÆ & ACADEMIÆ CRA-COVIENSIS PATRONI.
ODE VOTIVA.

JAm vices cesſant hyemis moleſtæ,
Tranſeunt imbres, gelidiqué venti,
Proximè grati veniunt amæna
Tempora veris.
Aura miteſcit, Boreas remittit,
Lenis aſpirat Zephyrus, docendo,
Mox comas arbor repetet, redibunt
Gramina campis.
Imò; fæcundus Cracii Lycæi
Protulit flores meliùs virentes
Campus, hos Pallas legit, & coronas
Nectit honoris.
Hîs parans promptè redimire frontes,
Rite compensans operas eorum,
Qui, ſibi juſtè famulando, quævis
Dura tulerunt.
Sorte nos quando decoramur iſta,
Mox eam juſtô tibi conſecrantes

Reddimus votô Pater ac Patrone,
Sancte JOANNES.
Namq; tu nostrûm fueras Magister,
Præses ac Ductor, tribuendo largos,
Arce de celsa Superûm favores,
Atque juvamen.
Expetit quisquis tua dona CANTI,
Fallitur nunquam, sed amica votis
Gratiâ summi Domini Polorum,
Munera sentit.
Testis est Orbis Lechicus fidelis,
Testis est omnis studiosa turba,
Imò testatur satìs universum,
Quanta reportet
Dona de Cælis, pia vota libans,
Te piîs quando precibûs fatigat,
Arduis rebus quoties levamen
Poscit adesse.
Nulla fortunæ, licèt efferatæ,
Nulla vis casûs ita fit maligna,
Quin tuam dextram fugiat, Tonantis
Robore firmam.
Sed magìs longè Populi Togati
Te Patrem verè geris ac Patronum
Ad preces semper veniens clientûm
Corde rogatus.

Dulcis

Dulcis eſt omnis labor, atque ſudor,
Omne conamen, vigilesqué curæ
Proſperè cedunt, ubi fertur à te
Gratia CANTI.
Nos idem cuncti ſatìs experimur
Jntegro noſtri ſtudii recursu,
Quomodo præſens aderas, ferendo
Auxiliares,
Copias. Quare ratione juſta
Solvimus grates animô fidelî,
Laureas noſtras tibi dedicando,
Dive Patrone.
Non enim poſsunt meliùs virere,
Nec tuebuntur proprium vigorem,
Deſuper per te niſi gratiarum
Rore rigentur.
Ergo, quæ grato ferimus precantes
Corde, ne ſpernas, licèt ima, nec te
Digna, pro ſumma pietate promptus
Accipe vota.
Nosqué, quo ſvêſti reliquos favore
Deſinas nunquam placidè tueri;
Et Scholam Regni: ſimul univerſum
Protege Regnum.

Ad

PERILLUSTREM & REVERENDISSIMUM DOMINUM.

D. M. ANTONIUM JOSEPHUM ZOŁĘDZIOWSKI,

U. J. Sacræ Theologiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICUM, Collegiatæ Vislicensis SCHOLASTICUM Parochialis S. JACOBI Casimiriæ PRÆPOSITUM &c Facultatum; Theologicæ, Medicæ & Philosophicæ PROCANCELLARIUM.

Carmen Heroicum.

Qui gratè beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit Seneca lib. 2. de benefic.

ROma suîs quondam titulîs decorata peramplîs,
Quæ Caput & Princeps Orbis totius haberi
Digna fuit, justum si quando laudis honorem,
Certè tunc meruit; quando condigna labori
Præmia decrevit; non ad Capitolia quenquam
Admittendo, cavens, ut non intraret honoris
Augustum templum, nisi, qui Virtutis in æde,
In quibus excellat, primò documenta dedisset.
Quos pro more Suo divinîs laudibûs ornans,
Non parvo numerô venerata Deosq; Deasquê.
Aligerum Numen coluit (Victoria nomen
Imposuisse Deæ voluit veneranda vetustas)
Inter eos; credens, quòd ab alta sede Polorum

Hæc

Hæc delepſa fuit, linquens Palatia Cæli ,
In terras, ad eos, quos exornare favore,
Muneribûsquê ſuîs ſtatuit ditare profusîs,
Vel cui ſuccesſus fauſtos conferre volebat.
Talis imago Deæ: Species !auguſta nitebat,
Aurô reſplendens, gemmîs diſtincta coruſcans
Splendida cingebat Parnaſsia tempora laurus
Ne quid ad ornatum vel Momus abeſse putaret,
Læva tenens palmam, ſed dextra ferebat olivam.
Hoc ſi fas eſset certè non juſtiùs ulli,
Quàm tibi Magne PATER vellemus ponere ſoli.
Nam, velut auguſtis Cæli penetralibûs ad nos,
Numinis afflatu te deſcendiſse videmus,
Per quem felicem finem, metamq; laborum
Conſequimur; nobisq; favet fortuna ſecunda,
Cùm te propitium cælo demisit ab alto
Numen. Conſpicuò Magni tu munere fungens
PRINCIPIS illius, qui cunctîs celſior unus,
Præclarè meritus de Majeſtate ſuperna,
De Patriæq; bono, dignos duntaxat honore
Exornare ſolet, tam clari muneris omnes
Exequeris partes, juſtè ſcrutando, quid eſset
Conferri cuivis dignum: dextra quoq; largâ
Præmia diſtribuens, penſas cujusq; labores,
Nec poterat meliùs cuiquam concedere tantum
Muneris officium PROCANCELLARIE, quàm te
Dum nactum fuerat, cujus Sapientia totum
Poſsedit pectus, ſedemq; locavit in illo
Perpetuam. quodſi non jam prognata fuiſset
De ſummi cerebro Jovis (hoc dicam bene) de te
Optaret naſci Mundi totius ad uſus.
Hanc mirata fuit non hæc Academia ſolùm,

Cùm

Cùm doctâ voluit caput insignire coronâ;
Ast etiam celebres Orbis totius Athenæ,
(Hoc meritò tribuit nomen Sapientia Romæ)
Dum justô titulô voluerunt reddere binas.
Fors invidit eas Urbs hæc celeberrima sortes
Arctois oris, Regni nostriq; Lycæo,
Quando jure novo te contendebat Homerum
Esse suum; quo dignabantur honore Pöëtam
Urbes Græcorum, se se censendo beatas
Esse magis longè doctorum sorte Virorum,
Quàm si constarent infractîs undiq; cinctæ,
Mænibûs. hisce stetit tanti sapientia! Quodsi
Principibus placuisse Viris non infima laus est,
Hac te vix poterit certè præcellere quisquam,
Cùm noscant omnes, quis, qualis quantus haberis.
Noverat in terris CHRISTI primaria *SEDES*,
Quo sis ingenio, quo mentis acumine dives,
Qua morum pietate gravis: quod sæcula pridem
Expectare diu debebant, hoc tibi soli
Concedens, (Genti quò surgit gloria nostræ
Maxima) Divorum numero referendo PATRONUM
Istius Regni, nostrum simulac PATRIARCHAM.
Hocmet Purpureus Patrum probat ille Senatus.
Qui te præcipuo fuerat complexus amore,
Ac in deliciis habuit, spectando probatam
In te congeriem virtutum fædere pulchro.
Hanc peperisse tibi potuit Sapientia laudem!
Hinc non est mirum, quòd trina *CORONA* Vavelli
In decus eximium tibi mercedemq; laborum
Cesserit. Hìc subsisto libens, & nolo plura referre.
Nam tua me prohibet præclara modestia, tantùm
Dico, quid potuit nobis felicius esse

Quàm

Quàm, dum ſub tanto PATRE nobis iſta facultas
Obtigit, ingenii ſpecimen potuiſse referre!
Vicimus! ornatiq; comas hederis & virgine lauru
Gaudemus læti; ſed, quæ ſunt gaudia noſtra,
In te conferimus, PROCANCELLARIE noſtrûm
Ac venerande PATER, poscendo; proſpera quæq;
Propitii Superi tribuant, faciantq; benignè,
Semper honor, nomenq; tuum, laudesq; perennent.

ILLUSTRIBUS,
CLARISSIMIS, & ADMODUM REVERENDIS
DD. EXAMINATORIBUS.

Illuſtri, Clariſſimo & Admodum Reverendo Domino,
D. M. ADAMO STEPHANO
JAGIELSKI,
Philoſophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio & Matheſeos PROFESSORI, COLLEGÆ MAIORI Eccleſiæ Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviæ SCHOLASTICO, interea Philoſophicæ Facultatis DECANO,

Illuſtri, Clariſſimo & Admodum Reverendo Domino,
D. M. JOSEPHO ALOYSIO
PUTANOWICZ,
Sacræ Theologiæ DOCTORI, Philoſophiæ Regio PROFESSORI, Eccleſiarum: Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ & Parochialis in Opatowiec PRÆPOSITO, Librorum per Diœceſim Cracovienſem CENSORI, Coloniarum Academicarum Generali VISITATORI, Culmenſis PROVISORI.

Illu-

Illuſtri, Clariſſimo & Admodum Reverendo Domino,

D. M. ANDREÆ CANTIO SLECZKOWSKI,

Philoſophiæ DOCTORI, ejusdemq; Regio & Tyliciano Eloquentiæ PROFESSORI, COLLEGÆ MAJORI. Eccleſiarum; Collegiatarum, Cureloviensis SCHOLASTICO, S. ANNÆ Cracoviæ CUSTODI, Collegialis Ilcuſſienſis PRÆPOSITO.

ODE LYRICA

APollo Præſes Pierii chori,
Nunc ſume pleĉtrum, nunc citharam move,
Ut debitas grates referre
Corde Viris valeamus iſtis.
Hi namq; nobis exſtiterant Duces,
Viresq; noſtras robore fulſerant,
Ne frangerentur impotentes,
Vel ruerent graviore casu,
Debemus illis, quòd moderamine
Mentes regebant suaviter optimo,
Noſtræ quòd optatum carinæ
Proſperiùs tetigere littus.
Nos incitabant fortiter aggredi,
Et non timeri quælibet ardua,
Audacter aſt omnes labores
Intrepidîs animîs ſubire.

En

En primus horum ſub calamum venit,
Primamq; poſcit laudis adoream,
Hic Purpurâ Princeps decorus
Conſpicitur, regit & Sophorum
Doctas cohortes, ingeniô potens,
Senſu profundus, conſiliô gravis,
Quem nulla dura dimovere,
Nec ſuperare valent moleſta.
Quinimo mentem fortiùs incitant,
Et non fatigant, quàmliber aſpera,
Quæ, palma tanquam ſit, triumphans
Pondere preſsa, magìs reſurgit.
Sublimis ejus mens capit omnia,
Quæcunq; claudit ſenſibûs abditîs,
Occulta vel ſervat Matheſis,
Illius ingeniô tenentur.
Probè recurſus ſyderibus Poli,
Qui ſit, quibusnam Luna laboribus
Subjecta ſit, Vir iſte vaſta
Mente ſua bene comprehendit.
Non ejus amplas ingenii ſatìs
Mirata dotes, non ſapientiam,
Præcepta tradentis Juventæ
Artibus ingenuis vacanti,
Non ſola (dico) noſtra Polônia
Mirata dotes illius inclytas,
In Pruſsia Viri celebris
Sunt documenta palàm petenti;
Illuſtris in qua floruit optimè
Vir, inſtruendo notitiâ bonâ
Legum, probèq; tunc regendo
Egregiam Juvenum coronam.

Juſtè

Juſtè ter illum purpura' veſtiit,
Sudore docto quæ ſibi debita
Pridem fuiſse comprobatur,
Inde magìs repetens nitorem:
Abrumpo vocem, plura nec adfero,
Ne conqueratur læsa modeſtia,
Quæ pectus ejus poſſidendo,
Occupat, atq; tenet perenne.
Sucedit alter poſterior quidem,
(Loci fit iſtud ſolius ordine)
Omnino qui par eſt, nec ulla
Inferior ratione primo.
Sublimè clarens ingenium Viri
Non noſtra tantum ſola Polonia
Novit, ſed imò Roma Princeps
Totius & Caput Univerſi.
Mirando ſummam quæ ſapientiam,
Ferens eidem congrua præmia,
Laurum, rependendo labores
Impoſuit capiti Sacratam.
Teſtantur ejus rite ſcientiam,
Quæ perſonabant eloquiô gravî;
Suggeſta Numini ſacrata.
Fantur idem Cathedræ Sophorum.
Quantum decoris Purpura percipit!
Quæ jam ter ejus condecorat modò,
Ornatq; bajulos lacertos,
Unde ſibi nitor eſt abundè.
Non hìc Catonem moribûs inclytum,
Non hìc Homerum, vel Stagyræ Ducem
Præfer Sophorum, namque JOSEPH,
Quæque requiris, habes in uno.

Quæ.

Quæcunq; tantùm ſpartha venit Viro,
Mavorte dextro ſuſcipit, & magìs
Hanc glorioſè tranſigendo,
Fert decus eximium Togatæ
Genti. Quid ejus conſilio gravi
Laus literarum debeat, haûd opus
Id pluribus modo probari;
Quòd ſtudiô meliore florent,
Debetur illi gloria maxima.
Non una tantùm Gens ſibi vendicat
JOSEPHE dotes percelebres
Quas videt, & veneratur in te.
Lætatur iſta ſorte Polonia
Natale gaudens eſse tuum ſolum
Nec Galliæ tamen deeſse
Italiæq; patet lepores.
Sed, ne moleſtum me tibi judices,
Sermonis ultrò carbasa contraho,
Nec plura contendo referre,
Hæc aliis celebranda linquens.
Jam rite tandem tertius Arbiter
Adeſt colendus munere debito,
Sed candidè libet fateri,
Conſona verba mihi deeſse.
Honore juſto Roma ſui Patrem
Sermonis ornat, laudeq; Tullium,
Hanc jure laudem vendicare
Tullius hic poterit Polonus.
Hic ore felix, hic calamo potens,
Æquè Beatos, atq; Viros graves,
Sermonibûs doctis celebrat,
Ingenii monumenta promens.

Diserta plané sunt sibi gloria.

Diſerta planè ſunt ſibi gloria
Conscripta doctè larga volumina,
Quæ publicæ luci dicavit,
Acta canens gravium Virorum.
Quod promit, illud marmore vel cedro
Dignum notari, nam ſtudet omnia
Æternitati conſecrare,
Quæ calamô, vel ab ore profert.
Notum ſat hujus ne reputes tuis
Duntaxat oris ingenium Viri,
Notæq; dotes ſunt Supremum
Imperii Solium Tenenti.
Quid penna vilis niteris altiùs
Volare? tentans ſcribere, quæ tuas
Exilis & minùs peritæ
Mentis opes ſuperare cernis.
Deſiſte! vires non capiunt tuæ,
Ut cuncta dignè geſta canas Patrum,
Committe nec cymbam profundo,
Icarios ſubitura caſus.
Non audet ergo veſtra retexere
Hìc geſta Patres, mens bene conſcia,
Se debilem fatens libenter,
Ut valeat meritas referre
Grates. Sed iſtud poſtulat æquitas,
Ut vota ſaltem cordis ab intimis
Petita, reddens promptiùs ſe
Conſecret obſequiis paratam.
Quæ mente grata conferimus ſimul,
Pio litantes corde precamina,
Et vota reddimus Clientes,
Suſcipitote Patres benignè.

Preca

Precamur ergo, vivite! vivite!
Longos & annos ducite proſperi,
Servare vos velint, diuq;
Propitii Superi fovere.
Fortuna veſtris ut nihil uſpiam
Maligna rebus miſceat anxium,
Nec caſibûs, turbet moleſtîs,
Sed facie faveat ſerena.

Ho-

Honor præmium virtutis

X. VV. DD. Secundæ Laureæ Candidatis

Collatus.

I. V. D. ANTONIO CZECHUCKI.

in Academia Pinczoviensi Grammaticæ Professori,



Stemma: Sagitta in-
ter duos gladios a-
cumine in terram
propen- dentes.
Lemma: Arma,
quibúsCæ- lo se glo-
ria tol- lit. *Sili-*
us Li- brô I.

Prælia fors Enses & acuta Sagitta minantur?
Sed, cùm non feriant, munera pacis erunt.
Bella movent Enses, hostes stringuntur in illos,
Dotibus ingenii, qui fera bella movent.
Fortiter impugnas hos, ardua solvere doctus,
Hinc est cum lauru laus tua mucro stylus.

II.

II. V. D. BLASIO ZYGMUNTOWICZ.

Stemma: … Gladius
ſupra Lu- … nam in-
ter duas … Stellas,
Supra co- … ronam al-
ter gla- … dius, in-
tra cau- … dam pa-
vonis. … *Lemma:*
Quis di- … gnior
enſis! … *Petrus*
Apol … *ni Novar*

Ill. V. D. NICOLAO GRABOWSKI,
in Academia Albæ Ducalis Grm̃ces Professori

Stemma: Cruce in consisten- coronam, alteram cum Cru- nens. *Lem-* facit ipse *Ovid*: 10.

Solea cum medio te. Supra Accipiter soleam ce pede te- *ma*: Cursus decorem. *Metamorp*:

IV. V. D. PAULO *de* CAMELIN.

Stemma: Rosa flo-
rens, su- pra quã
Norma fabrilis,
inter du- as Stel-
las. *Lem- ma*: Me-
diis ap- paret in
astris *Clau- dianus.*



Quæ tibi ſit ratio, quæ ſit tibi regula vitæ,
Sydera ſunt teſtes, Normaq; juncta Roſæ.
In Cælos ferris fragrans virtutis odore,
Eſt gravitas morum regula certa tibi.
Cum Lauru niteat Roſa, Normaq; dirigat actus,
Lumen honoris item Sydera clara ferant.

VI. V. D. PAULO ANTONIO KOZŁOWSKI.



Stemma: Duæ Turres, quadratæ intra, scutum bellicum. Supra coronam tres pennæ struthionis. *Lemma*: Fama Viro turres porrenti. tasq; tuenti. *Sidonius Apollinaris.*

Ordine quid miro nova propugnacula condis?
 Vincere quos hostes, aggrediendo, paras?
Vicisti felix illos, (quod gratulor) hostes,
 Qui segnes animos vincere sæpe solent,
Ergo triumphalem jam victor suscipe laurum,
 Pax faveat semper turribus alma tuis.

V. V. D. MARTINO
BEDNARSKI,

Scholæ Archipresbyteralis B. M. V. Seniori.

Stemma: Crux su-
pra Lunã *Lemma:*
Nil tibi cum te-
nebris. *Joan:*
Jovi- *an.*



cui, ut Auctori operis
mutui affectûs ergô applaudit

V. ANTONIUS CZECHUCKI,
Concandidatus.

Magni Stemma tuum quis nesciat esse valoris,
Cum sis Marte potens, & simul Arte valens
Dexter es ingeniô, pugnans pro Pallade docta,
Te Crux cum Luna signat utroque parem,
Fortiter insistas cæptis, hac luce coruscus,
Semper ad omne bonum Crux tibi pandat iter.

Eidem

Eidem Auctori operis

V. ADALBERTUS STANISLAUS

J A B Ł O N S K I

A p p l a u d i t.

Mente tibi grata, grato de pectore prompta
Vota referre decet.
Amplo tu noſtras tractâſti carmine laudes,
Ingenioq; gravî:
Reſpondere tibi juſtè nos expedit omnes
Voce metrôq; pari.
Tu quot ſcripſiſti votiva precamina nobis,
Accipe cuncta ſimul.
In nos congeſtas laudes quot cernimus à te,
Tot tibi fauſta fluant.
Non adverſa tibi noceat ſors, nullaq; tutum
Cura ferire queant.
Una tibi vultu faveat fortuna ſereno,
Intima vota volunt.
Si quid felices homines hìc reddere poſsit,
Unus id omne tene.

Permiſſu Magnifici & Ampliſſimi Domini
RECTORIS.
K. ‡ K.